



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Ludvvina Virgo. 14. Aprilis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

168. [090]
S. LUDVVINA Virgo.

14. Aprilis.

Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis 2. Cor. 2. c.

LUDVVINA formam obesse castitati videns, dignum Virgine rata est votum, deformitatem à coelo petere. Audiit hoc, & omnia morborum examina misit: ijs ita omnis gratia defluxit, ut nemini jam placeret cadaver domum ducere; sed sic illa demum formosa **CHRISTO** visa est. Hic ex amantibus solus iam agræ cum Matre assidere; solius amoris sui & patientiæ symbola per Angelos lectulum ambientes ostentare: quorum certè unâ recordatione **LUDVVINA** cruciatus suprâ, quàm dici aut credi potest, graves, facilè tamen omnes redimebat. Genium Tutelarem ducem ad ea loca, quæ **CHRISTUS** olim præsentia suâ nobilitavit, ad purgantes item flammæ & beatas sedes habuit. Ab eodem donum è primi parentis horto lignum tulit odore nobile: ut inde una jam vel virginitas, vel patientia sperare quid posse videatur; in subsidium pauperum, ipsa pauperrima, peculium tamen corrogabat,

R. 4.

jesu

& JESU crumenam dictitabat, cui profecto omnes, cum audient avari, inuidebunt, quippe quæ exhauriri nunquam potuit. Homini facinoroso suavit, plumis in unum latus nocentem incumberet. Risit ille, sed cum hoc in plumis non posset, ne in flammis olim cogere-
retur, flevit deinceps. At LUDWINA Anno Christi MCCCCXXX. ægritudinis assidua ac multiplicis XXXII X. cum id dolorum incrementum impetrasset, ut ignibus nihil superesset piandum, mortua tandem est, vel, ut rectius loquar, tandem desijt mori.

Ex Ioan. Bruggman

MEDITATIO

Quo animo ferre debemus morbos.

I. **M**orbus est donum Dei, quod sæpenumero nobis utilius est, ipsa sanitate; consulto siquidem hunc morbum immittit Deus, vel ut puniat peccata commissa, vel, ut deterreat à committendis, vel denique, ut patientiam nostram probet, & merendi præbeat occasionem. Si quæreres ex conscientia tuâ, cur hoc morbo cruciaris? haud dubiè intelligeres, hoc morbo te affligi, ut vitia tua relinquas, & imposterum sanctior fias: nam morbus parens est multarum virtutum. Non ergo nobis dolenda est hæc afflictio infirmitatum, quam intelligimus, materrem esse virtutum, Saly.

2. Fer patienter languores, dolores, quibus er-
 ciaris, imò hilarem animum præ te feras, & cura
 divinâ voluntate omninò consentientem. Cùm au-
 tem velit Deus, ut humanis remediis utaris, præ-
 sta te facilem & obedientem medicis, aliisque, qui
 tui curam gerunt. Qui morbo laborat, multas ha-
 bet occasiones exercendæ virtutis. Utere diligen-
 ter tam pretiosis occasionibus

3. Ne sis tu querulus in morbis tuis, impatiens,
 molestus. Existima, esse te in lecto, ut in cruce
 considera patientiam Christi in cruce morientis,
 & eam imitare. Considera pariter animas, quæ
 levia propter peccata tam dura patiuntur in ignibus
 purgatorii: Et memineris justum patientiâ ab in-
 justo secerni. *In adversis per impatientiam queritur. &
 blasphematur injustus, patientiâ justus probatur.* Cypri

S. EUTYCHIVS Martyr.

15. Aprilis.

*Oportet enim contemptibile hoc in-
 duere incorruptionem, & mor-
 tale hoc ad immortalitatem.*

Epist. 1. ad Coloss. 15. c.

HOc die Ferentinates EUTYCHIUM
 martyrem colunt, etsi ubi, aut quan-
 do animam posuerit, nesciant annales. Sed
 hæc Fasti olim cœlestes loquentur, nam

R,

ists